



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

1. De oratione siue obsecratione, & quid sit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

nas Deus etiam dimissa culpa exigit. Sola autē Christi passio tollit culpam, & nullum opus &cæt. Alligauit Deus distributionem meriti Christi pluribus rebus, nunc orationi, nunc eleemosynæ, nunc charitati &cæt. vt cognoscatur eius larga misericordia & dilectio. Ideò scriptura etiam variè loquitur, nunc fidei, nunc sacramentis, nunc operibus tribuens distributionem beneficiorum Christi: non autem ipsis operibus, sed diuinæ misericordiæ tribuitur causa distributionis: Eleemosyna assimilatur semini, semen primò absconditur in terra, sic debet abscondi eleemosyna Matth. sexto, deindè semen videtur perdi, cum potiùs renouetur. Sic eleemosyna. Eccles. 29. Perde pecuniam propter fratrem. Tertio, semen surgit cum foenore, sic eleemosyna centuplum accipiet. Prouer. 16. Foeneratur Domino qui miseretur pximo. Quarto, triticum hoc anno seritur, & in futuro metitur. Sed eleemosyna hïc in mundo fit, sed in futura vita habebit remunerationem, 1. Tim. 4. Pietas ad omnia utilis. hanc in iudicio Christus proferet. Matth. 25. Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c.

CAPVT V.  
ARGVMENTA.

1. *De oratione siue obsecratione, quid sit.*
2. *Quare nos debeamus orare.*
3. *Quæ requirantur ad veram orationem.*

**P** R I M ò oratio est eleuatio mētis in Deū, quæ mens inuocat Deū, & petit aliquid, aut gratias agit pro accepto beneficio: nam inuocare, est petere aliquid à Deo: gratias agere, est agnoscere quòd diuinitùs contingit auxilium: celebrare, laudare & prædicare Deum authorem beneficij. ideò scriptura hæc duo



duo sæpè coniungit, vt Psalm. 49. Inuoca me, & honorificabis me. ad Philipp. 4. Nihil solliciti sitis, sed in omni petitione & gratiarū actione petitiones vestræ innotescant &c. Quatuor hīc enumerauit Apostolus: orationem, obsecrationem, gratiarum actionem, petitionem. Oratio est aliud nihil, quàm verba quæ dico aut lego in Psalmis: obsecratio est, quando petitio propter aliquid aliud formatur, vt dum aliquem obsecro (id est, flehen,) propter hunc vel illum amicū. Sic obsecramus patrem Deum propter filium Christum in omnibus collectis. Sic obsecrauit Salomon Deum Psal. 132. Memento Domine Dauid. Sic Paulus ad Roma. 12. Obsecro vos per misericordiam Dei &cæt. Petitio fit quando res nominatur quæ petitur, sicut in oratione Dominica nominamus ea, quæ obsecramus & petimus. Gratiarum actio est, accepta beneficia pensare & ponderare, ac confortare fiduciam accipiendi illud quod petimus. Sic oratio extendit se in gradus, vbi Deus inuocatur tanquàm summus auxiliator, creator, & conseruator, & in eū omnem fiduciam collocat, tanquàm summum refugium in omni necessitate & tribulatione nostra, &c.

Secundò, prima causa quare debeamus orare, est præceptum Christi. nam inquit: Petite in nomine meo, & accipietis scilicet propter nomen meū, Ioan. 16. Et quoniam hoc præceptum est, idè sicut peccat, qui furtum, adulterium, homicidium committit, eò quòd hæc Deus prohibuit, sic non obedire DEO in hoc præcepto, & illi cultum illum non reddere, non inuocare in periculis, & auxilium ab illo non expectare, non gratias agere pro beneficijs, est grande peccatum. Huic igitur præcepto opponere debemus nostram imbecillitatem, & dubitationem, quia naturaliter dubitamus, an exaudiamur, necne quòd simus indigni peccatores, quòd oratio nostra

non